

dum in ipso ordine naturæ; et supernaturalis dici potest, quia præter ordinem naturæ, et ultra debitum causarum naturalium datur. Unde etiam dici posset per accidens infusa, quia ab Spiritu Sancto inspiratur, et ita est ab ipso indita, per accidens tamen, quia ille modus productionis non est connaturalis, nec per se debitus illi cogitationi. Unde hic modus gratiæ non solum in cogitatione congrua, sed etiam in incongrua, id est, non efficaci, sed tantum sufficiente inveniri potest. Quia etiamsi Deus inspiret naturalem cogitationem honestam ex peculiari gratia præter ordinem causarum, non necessitat voluntatem, et ideo potest illi dissentire, si velit; ergo in ipso etiam genere gratiæ potest esse excitatio incongrua.

8. *Effugium.* — *Præcluditur.* — Dicit aliquis, quamvis absolute hoc sit possibile, nihilominus secundum ordinariam providentiam non dari a Deo talem cogitationem illo peculiari modo, nisi quando futura est congrua. Sed hoc gratis dicitur, et sine ulla probabilitate; nam si Deus frequentissime inspirat cogitationes supernaturales, quas præscit futuras esse incongruas, cur non etiam naturales? Ac deinde alias sequeretur, quoties homo non consentit simili cogitationi internæ, colligi posse illam non fuisse inspirationem divinam, quod omnino falsum est, ut supra in Cassiani doctrina notavimus. Certum enim est hoc genus auxilii indifferens esse ad sufficiens et ad efficax in ratione excitantis. Ex quo sumi potest nova impugnatio præcedentis opinionis, quia juxta illam nulla esset gratuita excitatio ordinis naturalis, nisi efficax: nam cogitatio congrua juxta illam opinionem, semper est efficax, de quo argumento dicam plura in libro sequenti, cap. 15.

9. *Simile auxilium gratuitum in voluntate admittendum est.* — Atque ad eundem modum potest explicari in voluntate simile auxilium gratuitum per bonos motus indeliberatos in ea insurgentes: nam, quia hi motus non excitantur nisi media cogitatione, quando cogitatio ipsa est supernaturalis modo explicato, etiam motus voluntatis ex ea naturaliter resultantes ad idem genus gratiæ spectant. Potest autem contingere ut honesta cogitatio intellectus, sive naturali modo excitata, sive gratuito, sufficiens non sit ad excitandam voluntatem ad bonum motum indeliberatum propter aliquam indispositionem ejus, et nihilominus Deus ex peculiari misericordia illum motum excitet in voluntate necessitando illam, ut paulatim illam trahat ad liberum

consensum, et tunc ille motus, in se et absolute naturalis, in modo tamen, quo immediate fit, supernaturalis existit. Dico autem *immediate*, quia etiam poterat Deus ex parte intellectus augere cogitationem movendo intellectum, ut efficacius attendat, vel ad plura motiva, usque ad eum gradum seu quantitatem in quo valeat cogitatio naturalem motum in voluntate causare, et tunc ex tali suppositione motus voluntatis naturali modo fit, tamen in radice cogitationis semper est gratia. Et simili modo potest in ipsamet cogitatione accidere ut, licet supposita tali applicatione objectorum externorum naturali modo ab illis excitetur, nihilominus sit gratia, quando nimirum talis objectorum concursus et occursus non provenit ex sola generali providentia, vel communi cursu causarum secundarum, sed ex peculiari providentia Dei volentis per illa media illo speciali modo hominem juvare.

10. *Infinita quædam varietas est horum auxiliorum.* — Et juxta hos fere modos potest pene infinita varietas in hoc genere gratiæ inveniri, sive quia Deus particulariter disponit causas externas in ordine ad internam excitationem naturalem, sive quia ulterius illam confert sine adminiculo causarum externarum, sive quia interius plus movet quam externæ causæ possent immutare. Quod interdum potest facere directe, per se efficiendo, interdum indirecte, per specialem providentiam removendo quæ alias naturaliter impedirent similem excitationem vel motionem causarum naturalium. Quæ tota doctrina sumpta est ex Augustino, partim 2 lib. de Peccat. merit., cap. 17, partim libro quinquagint. Homiliar., homil. 17, et lib. 2 Confession., cap. 17, et lib. 9, cap. 8, et quæst. 2 ad Simplicianum, et aliis communibus locis; et ex Prospero lib. 2 de Vocat. gent., per multa capita, præsertim 25 et 26, et contra Collat., cap. 14. In quibus tamen Patribus adverto, interdum videri loqui indifferenter de his beneficiis Dei, et illa gratiæ Dei deputare, etiamsi possent ex generali providentia provenire: tamen vel loquuntur de illis, juxta subjectam materiam, quia intelligunt in ordine ad salutem semper in his intervenire aliquam specialem efficaciam Dei, vel interdum generalius utuntur nomine gratiæ, nam profecto, quando talis excitatio est ex solo cursu causarum cum generali influenza Dei, non aliter est gratia, quam beneficium creationis, ad quod pertinet: proprie autem dicitur auxilium gratiæ, quando fit

aliquo modo supernaturali, ut explicatum est; ita ergo sufficienter explicatur, et intelligitur auxilium naturale in entitate et in modo supernaturali.

11. *Enodatur ratio dubitandi posita in numero 2.* — Unde quoad hanc partem soluta manet prima ratio dubitandi in principio posita, quæ contra hanc primam assertionem directe procedit. Negamus enim non posse esse excitationem naturalem in substantia, et gratuitam seu supernaturalem in modo. Hunc autem modum non ponimus in aliquo medio, acceptatione vel relatione ad finem supernaturalem, sed in modo faciendi et causandi in nobis talem excitationem, qui modus quodammodo dici potest intrinsecus actui, quia est tanquam via ad ipsum, seu fieri ipsius, prout est a Deo, et quodammodo dici potest extrinsecus, quatenus non est debitus actui, nec secundum ordinarium cursum causarum fit. Adhuc etiam per hunc modum effectio nihil poni in his motibus gratiæ, quod naturale non sit, imo ipsamet effectio absolute spectata naturalis est, solumque respective ad ordinarias causas naturales dicitur supernaturalis, sicut illuminatio hujus domus, si clausis januis, vel noctu, et seclusis omnibus causis secundis a Deo solo immediate fiat, dicitur quidem supernaturalis quoad modum per respectum ad causam, in se tamen et absolute naturalis actio est. Denique hic modus supernaturalis sufficit in his motibus, quia non dantur per se ac proxime propter actus supernaturales in substantia, sed propter actum virtutum acquisitarum, et ad vitandum peccatum contra legem naturæ, et ad hoc optime juvare possunt, quia virtutem aliquam physicam vel moralem ejusdem ordinis conferunt, quam homo neque ex se, nec per ordinarium cursum causarum naturalium habere potuisset.

12. *Assertio secunda.* — *Gratia excitans, quæ est principium proximum actus virtutis infusæ, est secundum substantiam supernaturalem.* — Secundo, dicendum est actus gratiæ excitantis, qui sunt proxima auxilia ad actus supernaturalium virtutum infusarum, ejusdem ordinis sunt, et in sua substantia supernaturales. Hæc assertio communis est; significant illam ex antiquis, D. Thom. 1. 2, quæst. 111, artic. 2 et 3; Bonavent., in 2, dist. 28, art. 2, quæst. 1; et Alens., 3 part., quæst. 61; ex modernis, Bellarminus et Vasquez supra, et accurate Molina in Concord., disput. 35 et 36, et sine dubio est sententia Augustini, nam lib. de Grat. Christi, cap. 13, de hac interna gra-

tia excitante præcipue loquitur, cum dicit: *Si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum infallibili suavitate dicatur infundere, non solum per eos qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus.* In quibus verbis indicat hanc gratiam esse altioris ordinis ab omni motu naturali, ideo enim tribuit eam soli Deo operanti, ultra omnem efficaciam verbi humani; hoc enim significat per illa verba: *Non solum per eos qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum.* Nam sub verbis plantandi et rigandi, absque dubio non solum includit verba prædicantium, quatenus ad aures corporis perveniunt, sed etiam quantum ad omnem vim quam habent ad instruendum intellectum, vel ad movendum affectum, operante eo qui audit sola virtute naturali cum generali concursu Dei; ultra hoc ergo requiritur aliquid quod solus Deus interius potest facere, quod etiam indicavit per illa verba: *Ineffabili suavitate.*

13. *Discrimen inter utrumque genus gratiæ excitantis.* — Unde in hoc magna est differentia inter hoc genus gratiæ excitantis, et aliud in superiori conclusione explicatum. Nam illud, licet interdum fieri possit a Deo immediate ex defectu causarum secundarum, non excedit virtutem illarum, sed solum quod interdum non occurrunt, vel non applicantur, Deus per se producit effectum; sæpe vero similes motus operatur per illas causas, et frequenter ministerio Angelorum illas applicat, vel exterius, vel interius, media phantasia. Et quamvis interdum immediate et per se moveat intellectum vel voluntatem (quod solus Deus facere potest, etiam intra ordinem naturalem), nihilominus similes effectus fieri possunt mediis causis creatis, et ideo ex modo solum, quasi accidentario effectui, tunc solus Deus libera sua voluntate operatur. At vero in hoc posteriori genere gratiæ, illa interior motio tam propria est Dei, ut nunquam qui plantant vel rigant ad similem efficiendam suam virtute sufficiant. Ex quo recte colligitur talem excitationem esse per se infusam, et ordinis divini ac supernaturalis.

14. *Confirmatur ex eodem Augustino.* — Quod præterea confirmatur verbis ejusdem Augustini, l. 15 de Civitate, c. 6, ubi, postquam retulit varios modos quibus per verbum Dei externum moventur fideles ad proficiendum in bono, addit: *Spiritus autem Sanctus operatur intrinsecus, ut valeat medicina quæ*

adhibetur extrinsecus. Alioqui etiamsi ipse Deus, ulens creatura sibi subdita in aliqua specie humana, sensus alloquatur humanos, sive istos corporis, sive illos quos istis simillimos habemus in somnis, nec interiori gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis. Per quæ verba aperte declarat quod dicebamus, tunc internam gratiam esse altioris ordinis ab omni illa quæ per causas secundas fit, aut fieri potest. Et hoc ipsum significavit Augustinus in verbis illis: *Valde remota est a sensibus hæc schola, in qua Pater auditur.* Et docet lib. de Prædestinat. Sanctor., cap. 8; significat enim gratiam illam talem esse, ut suo genere non possit per sensus acquiri, ac subinde esse per se infusam. Et hanc mentem Augustini cum eodem modo loquendi imitati sunt Prosper contra Collator., cap. 9, et 1 de Vocat. gent., cap. 8 et 9; et Fulgentius, lib. 1 ad Monimum, cap. 28, et lib. de Incarnat. et Grat., cap. 17 et sequentibus; et Petrus Diaconus, cap. 6; et Gregor., lib. 3 Reg., cap. 5; et Bernard., lib. de Grat. et liber. arbitr., præsertim circa finem. Et in eodem sensu loquuntur Concilia de prima vocatione, inspiratione aut illuminatione fidei, præsertim Arausicanum et Tridentinum, locis sæpe citatis.

15. *Ratione munitur assertio.* — Ratio vero hujus assertionis reddi potest. Primo, a posteriori, quia si isti actus essent naturales quoad substantiam, non essent per se infusi; ergo, quantum est ex se, possent interdum fieri in nobis per acquisitionem ex sensibus et sensibilibus objectis. Consequens autem admitti non potest, alias posset in aliquo casu homo habere sufficientem excitationem ad credendum ex vi externæ prædicationis, sine peculiari interna inspiratione a Deo immissa, quod repugnat definitionibus fidei. Unde a contrario argumentor secundo, quia per hanc excitationem sufficientem datur homini posse supernaturaliter credere; sed sola naturalis entitas non est sufficiens ad dandam hanc potestatem, quia est altioris ordinis, et per illam elevatur potentia ad agendum ultra vires naturales; ergo necesse est ut talis gratia excitans sit in sua entitate ejusdem ordinis supernaturalis. Tertio, potest hoc declarari, quia non est impossibile infundi hominibus hujusmodi motus hæc modo supernaturales, et illi sunt magis accommodati ad elevandas potentias animæ ad ordinem supernaturalem, suavi modo, et cum majori proportionem respectu perfectorum actuum supernaturalium; ergo ita fieri cre-

dendum est. Consequentia cum minori patent. Major autem constabit respondendo ad posteriorem rationem dubitandi, quæ contra hanc partem directe procedebat.

16. *Diluitur secunda ratio dubitandi supra n. 3.* — Et imprimis in ea sumebatur actus istos non habere virtutes infusas ad quas pertineant. Respondemus autem posse optime ad dona vel virtutes revocari, nam hæc excitatio supernaturalis, prout in intellectu tribuitur, ad intellectualia dona Spiritus Sancti pertinere videtur, nam et in modo quo infunditur per specialem impulsu prævenientem, atque in munere seu officio cum illis donis convenit, quia talis gratia est interna doctrina Spiritus Sancti, ad quam duo spectant, scilicet, specialiter dirigere intellectum, ut supernaturalia mysteria credenda vel amanda convenienter apprehendat, et de illis rectum iudicium practicum ferat. Utrumque autem ex his muneribus pertinet ad dona Spiritus Sancti, prius ad intellectum, posterius vero ad consilium, et suo modo ad scientiam et sapientiam, quatenus res propositæ dignæ creditu, vel amore, vel executione, vel fuga æstimari possunt. Et quamvis in principio vocationis nondum homo receperit habitus horum donorum, nihilominus ex motione Spiritus Sancti potest elicere aliquos actus qui sint veluti inchoationes eorum, qui actus licet sint imperfecti, nihilominus, in modo quo circa sua objecta versantur, eandem rationem formalem suæ specificationis supernaturalis participant, quam habent actus perfecti ab habitibus illorum donorum eliciti.

17. *Motus hujus gratiæ pertinentes ad voluntatem reducuntur ad virtutes infusas.* — Simili modo motus hujus gratiæ pertinentes ad voluntatem, ad virtutes infusas revocari facile possunt. Nam si talis actus sit desiderium imperfectum salutis, ad spem reducitur: idemque dicimus de imperfecto timore gehennæ; si vero sit complacentia aliqua in bono divino, vel affectio imperfecta ad Deum ipsum, inchoatio est quædam charitatis, et cum eadem proportionem discurre potest per alias virtutes infusas. Quibus addi potest quod supra libro secundo diximus, inter actus deliberatos harum virtutum dari aliquos qui, licet imperfecti sint, supernaturalem substantiam et entitatem habent. Atque hanc explicationem horum actuum sumpsit ex Prospero, libro secundo de Vocat. gent., capite vigesimo secundo, alias nono, ubi de hac gratia excitante prius dicit, *in omnibus justificationibus princi-*

paliter præeminere. Et deinde declarat externum modum excitandi; tandem vero internum ita explicat: *Dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, et fidei affectionibus imbuendo.* Quod si quis objiciat, quia ante actum fidei nullus est supernaturalis motus in voluntate, respondemus id ad summum esse verum de actibus supernaturalibus plene deliberatis, et non in omnibus illis eodem modo, quia voluntas credendi supernaturalis est, et non supponit actum fidei, sed illum secum affert. Ad hos autem motus imperfectos et indeliberatos, sufficit practica motio intellectus per illuminationem et inspirationem Spiritus Sancti, quæ est quædam inchoatio, et initium fidei, quod habet locum in homine nondum credente; nam in eo qui jam credit, potest etiam ipsa fides excitari, et ad cæteras voluntatis motiones cooperari; et per hæc satis responsum est ad difficultatem positam in dicta ratione dubitandi in priori parte ejus; de altera vero parte dicam in capite sequenti.

CAPUT XI.

QUOMODO SUPERNATURALIS EXCITATIO EX NATURALIBUS ACTIBUS ECCLESIAE, SEU EORUM PER QUOS VOCATUR, PENDERE POSSIT.

1. *Status questionis duplex.* — Duo in titulo proponimus, quæ in ulteriori ratione dubitandi præcedentis questionis petebantur. Unum est, quomodo hæc gratia excitans, licet supernaturalis sit, pendere possit ex ministerio hominum, et prædicatione Ecclesiæ, et aliis objectis externis. Secundum est, quomodo pendeat a naturali conatu, vel aliquo libero usu recipientis illam, de qua re disputant inter se moderni Theologi; sed nullam rationem difficultatis aut controversiæ in hoc invenio.

2. *Certa suppositio ex dictis.* — *Excitatio gratiæ fieri potest mere interius, vel exterius.* — Circa primum ergo punctum suppono doctrinam supra traditam, scilicet, excitationem gratiæ dupliciter fieri posse, scilicet, mere interius, aut per aliquam exteriorem vel sensibilem motionem, quæ est doctrina Augustini, dicta quæst. 2 ad Simplicianum, et de Spirit. et litter., cap. 33 et 34, et lib. Octoginta trium Quæstionum, q. 68, et libr. 1 de Peccat. merit., cap. 35, et de Catechizand. rudib., cap. 4 et 5; et Prosperi, in lib. 2 de Vocat. gent., cap. 8 et 9, alias 25 et 26; et

D. Gregor., libr. 2 Reg., suo cap. 4, et circa illa verba capitis 3: *Vocavit Dominus Samuel;* et D. Thomæ, lect. 6 in ad Roman. 8, circa illa verba: *Quos prædestinavit, hos et vocavit.* Et ratio est, quia excitatio voluntatis non fit nisi prævia excitatione intellectus: at vero intellectus excitari potest vel immediate ab ipso Deo, ut ex Dei omnipotentia manifestum est, vel per objecta sensibilia, ut est illi connaturale. Quamvis autem, spectata conditione supernaturalium objectorum et actuum, excitatio interna et specialis immediate facta a solo Deo magis proportionata videatur, nihilominus, attenta hominis conditione, alter modus excitationis per sensibilia objecta est viatori homini magis accommodatus, et ideo secundum legem ordinariam et communem hunc modum Deus observat, ut usu ipso ac experientia constat, et ex Scriptura sumitur ad Rom. 10: *Fides ex auditu;* et Luc. 7: *Messis quidem multa, operarii autem pauci: rogare ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam;* et ideo Actor. 10, missus est Petrus ad Cornelium per peculiarem Dei revelationem; et cap. 16, missus est Paulus in Macedoniam, rogatus a viro Macedo, qui per visionem ei apparuit.

3. *Nodus difficultatis.* — *Placitum quorundam.* — *Placitum aliorum.* — Difficultas ergo posita quoad hanc partem procedit de hac posteriori et ordinaria excitatione divina, nam alia extraordinaria et mere interna a Deo solo in mente fit sine dependentia ab exteriori ministerio. De hac vero ordinaria negari non potest quin aliquo modo pendeat ab actibus sensibilibus, qui sunt naturales quoad substantiam. Dicunt vero aliqui hanc dependentiam non repugnare supernaturali excitationi, quia solum est tantum a conditione sine qua non, ex divina providentia et ordinatione: nam tota illa actio sensibilis, quæ ex parte ministrorum Ecclesiæ præcedit, solum est quasi applicatio materiæ, circa quam homo possit supernaturaliter operari, cui modo dicendi favet Paulus 1 ad Corinth. 3, dicens: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit;* et subjungit: *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* In negotio etiam salutis omnes ministri Ecclesiæ tantum plantant et rigant, et ideo dicuntur non esse aliquid, quia non per se faciunt effectum, quamvis eorum ministerium necessarium sit, et ad eum scilicet modum quo in fructibus sensibilibus plantatio et riga-